Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 415
Quelle:
Copyright:

inſcripta: *Sancto Ac Beatiſſimo Patri Macedonio Presbytero ſedulius in chriſto ſalutem. Macedonium* hunc quaedam Exempla *Abbatem* faciunt. Initium: *Priusquam me uenerabilis pater operis noſtri decurſo uolumine cenſeas. et ritu forſitan ſeueritatis obiurges* &c. Rectius, quam in *Bibl. PP. Lugd.* T. VI. p. 458. ubi et *me* omiſſum, et *rite forſitan ſevereque* pro *ritu forſitan ſeveritatis* positum eſt. Malo item cum Noſtro *Gallianum*, quam *Gallicanum presbyterum* legere. Epiſtolam excipit miniata haec Επιγραφη: *Hic Inſunt Sedulii Libri V.* (Multi alii *quatuor* faciunt) *Novi Ac Veteris Teſtamenti Heroico Metro. Prefatio.* Illa videlicet, quae 'ακροστιχως utroque latere has voces *Sedulius Antiſtes* offert, et *Liberio* cuidam tribuitur in *Bibl. PP. cit.* p. 472. et T. I. *Anal. Mabillonii* p. 362. qui ineditam putaverat. Ad emendandam *Bibl. cit.* lectionem *Codex* haec ſubpeditat: V. 6. *grandiſoni* pro *grandiſono.* V. 7. *Uritur* pro *Utitur.* V. 8. *amomos* (αμωμους i. e. maculae expertes) pro *amoenos.* V. 9. *fluvius* pro *fluvios.* V. 14. *praemia* pro *praelia.* Sequitur minio: *Incipit Prefatio Paſchalis Carminis.* Et VIII. illa Diſticha, quorum initium:

Paſchales quicunque dapes Conuiua requiris &c.

Hic V. 13. repone e Cod. *Cerea* pro *Coetera.* Carmen dedicatorium ad *Theodoſium* Aug. quod incipit: *Romulidum Ductor* &c. quodque *Caveus* in *Hiſt. lit. Vol. I.* p. 425. recte *Sedulio* abjudicat, in *Codice* quoque non comparet, ſed ejus loco: *Sequitur Item Prefatio Alia:*

Cum ſua gentiles ſtudeant figmenta poete &c.

Dein: *Invocatio Auctoris:*

Omnipotens aeterne deus ſpes unica mundi &c.

Ubi 'εν παροδω noto, hunc et ſequentem Verſum, ſexque poſtremos antecedentis Praefationis, intruſis in eorum medium ſex aliis ignoti autoris, paſſim praefixos legi Exemplis *Bullae Aureae Caroli* IV. quod, neſcio, an a quopiam hactenus obſervatum. Liber primus inſcribitur: *Textus Primi Libri De Enoch*, et incipit:

Primus ab usque chao meritis uiuacibus enoc &c.

Ita et deinceps, ut in *Bibl. PP. Pariſ.* T. VIII. Particulae Poematis propriis Inſcriptionibus gaudent, quarum tamen multae vetu-